

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

EVANGELIUM. JOANN. II.

In illo tempore : Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent. Et dicit ei Jesus : Quid mihi et tibi est, mulier ? Nondum venit hora mea. Dicit mater ejus ministris : Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat, unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam : et crediderunt in eum discipuli ejus.

CONCIONES.

- I. Quomodo ineundum sit matrimonium.
- II. Afflictiones conjugum mitigantur.
- III. De officio conjugum erga se mutuo.
- IV. Reliqua conjugum præscripta.
- V. Ebrietatis proles.
- VI. Causæ cur tam multi egeant.
- VII. Quibusnam inter alios maxime vitanda sit ebrietas.
- VIII. Cæremoniæ nuptiarum exponuntur.

- IX. Documenta.
- X. Mystera.

CONCIONES AUCTARIJ.

- I. Vini potus moderandus, velut sanguinis.
- II. Quomodo vinum lætificet Deum et homines.
- III. Quam stulte eligant mundi sectatores vinum bonum in hac vita, et in altera deterius.
- IV. Pia inter conjuges contentio.
- V. Nuptiæ quæ celebrandæ ex antiquis ritibus.

CONCIO I.

QUOMODO INEUNDUM SIT MATRIMONIUM.

- I. Cum matura deliberatione. — II. Par nubat pari. —
- III. Bono fine. — IV. Cum consensu parentum. —
- V. Magno animo sustinendi onus conjugii.

THEMA.

Vocatus est autem et Jesus ad nuptias. Joan. II.
Sæpius mirabar, cur Judicum, capite IX. dicatur : Vinum lætificare Deum et homines. Quod enim quæso illud vinum, quod non solum ho-

minem, sed Deum quoque lætificat? Sed hodiernum evangelium meam sustulit admirationem, quando in eo legi primo quidem vinum defecisse, postea vero a Christo largiter exhibitum esse. Si enim hoc vinum non lætificasset Deum, Dei Filius id nequaquam subministrasset nuptiis, nec tam præclaro miraculo ex aqua effecisset; si non lætificasset homines, nequaquam architriclinus exclamasset : *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc*. Quid vero nobis mystice significet hoc vinum, Sapiens explanat Ecl. cap. XXV. cum ait : *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : con-*

cordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. Bonus igitur consensus viri et uxoris vinum illud est probatum coram Deo et hominibus, quod et illum et hos lætificat. Et inde novis conjugibus propinatur in Ecclesia vinum amoris benedictum. Sed quam cito in multorum nuptiis deficiat hoc vinum, ostenditur in hodierno evangelio, ubi mox vinum deerat : et quam difficile paretur, ostenditur ex eo, quod Christus non sine mora et difficultate vinum suppeditavit. At, o quam triste est matrimonium, ubi hoc vinum deest ! Ibi rixæ, ibi zelotypia, ibi probra, ibi infidelitas, ibi tristitia, ibi denique infernus : quia *vinum non habent*. Sed nimirum ipsi contrahentes ut plurimum in causa sunt, quod vinum hoc illis desi : quia Jesum ad nuptias non invitant, qui solus vinum id subministrare potest; sed cæcorum instar in nuptias ruunt, sine prævia consideratione et debita præparatione. Qua vero ratione Christus ad nuptias invitandus sit, in præsentiarum audiemus.

I. Ad nuptias invitavit Christum, qui suas ita instituit, et eo modo celebrat, quomodo suas Christus cum Ecclesia, quas hominum nuptiæ significant, instituit et celebravit. Primo, Christus non sine prævia consultatione Ecclesiam sibi despondit; sed ubi facta ea consultatio? Ibi, cum ante creationem hominis SS. Trinitas quodammodo consultando, num expediret creare hominem, dixit : *Faciamus hominem, etc.* Nam ut Rupertus, in exordio, l. II. de Trinitate et operibus ejus scribit : « Plane ibi omnis nostra in medio causa posita est, mors vel perditio nostra, quæ futura erat, illic perspecta : et inde totum consilium habitum, ut unaquæque Persona suam operis partem susciperet, ut scilicet tunc quidem Pater conderet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus sanctus remissionem peccatorum et carnis resurrectionem perficeret. » Sic ille. Quoniam igitur Dei Filius ad hoc, ut Ecclesiam sibi desponsaret, difficillimam sibi subeundam provinciam sciebat, incarnationem videlicet et mortem, ideo merito quæstionem et consultationem prius vocavit, num expediret hoc cum Ecclesia tam laboriosum inire matrimonium. Difficilis etiam provincia est status matrimonii, quod vir et mulier contrahunt; laboribus enim, curis ac tædio plenum est, et præterea insolubile, quamdiu illi vivunt. Equum vitiosum, inutilem, intractabilem abjicere quis potest aut vendere, aut cum alio commutare; sed non ita uxorem, quia semel decretum est : *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Domum vitiosam (ait Chrysost. oration. de pulchritudine et uxore) et servum, si ineptus vi-

deatur, reddere venditori licet, uxorem vero ductam reddere his qui dederunt, non licet. » Magna igitur cura dispiciendum prius est, qualem conjugem tibi jungas. Si enim prudentes agricolæ delectum agrorum habent, priusquam eos emant et colant, ut fructus inde percipiant, quanto magis hoc necessarium in conjugis electione, cum qua semper est vivendum? Servorum qualitates ad annum tantum retinendorum diligenter inquiruntur : ecur non magis uxorum mores aut virorum, qui in individuam vitæ consuetudinem assumuntur? In amicitiam non facile recipimus quem prius non noverimus, quanto magis ergo dignoscendi, qui in connubium assumuntur? Certe Aristoteles, lib. III. ethic. cap. III. asserit, tum demum homines se invicem cognoscere, ubi prius mensuram salis simul comederint. Modo autem cæco impetu curritur ad nuptias, et quemadmodum caro vitulina in macello emitur ad oculum, non ad libram; sic uxores a plerisque. Carent ergo, vel certe mox deficiunt vino tales nuptiæ, deest gratia et Dei benedictio; insipidum et aqua est, quidquid bibunt eduntque tales conjuges, imo amarum et nauseosum : inde rei familiaris dilapidatio, adulteria, divortia, quippe ædificium sine diligentia et consideratione, festinanter erectum stare diu nequit. Expertus id est Jacob qui de nocte accipiens uxorem, Liam lippam pro Rachele accepit, Genesis, cap. XXIX. Lippæ sunt uxores, quæ nutantes habent oculos, et reflexos in alios amatores. Expertus est et Sichem, Genesis cap. XXXIV. qui cum nimis perditæ amasset Dinam, nimisque præcipitanter sibi copulasset, post triduum ab uxoris fratribus Simeone et Levi trucidatus est. Præcipitate ergo et inconsiderate nuptiæ cito vertuntur in luctum, odium et fastidium. Præcavens id Abraham adjuravit servum suum Eliezer, ut ne acciperet filio suo Isaac uxorem de Chananæis impiis, sed iret in terram cognationis suæ et domum Nachor bene moratam. Ipse vero servus, ut pluribus illius terræ filiabus meliorem seu magis virtuosam eligere posset, Deum precabatur et industriam adhibebat, unde virtutem ejus exploraret. Etenim : *Puella, cui dixerò, inquit, inclina hydriam tuam ut bibam, et illa responderit : Bibe; quin et camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti servo tuo Isaac*, Genesis XXIV. Ex hac enim prompta ejus benevolentia colligebat eam fore benignam, liberalem, laboriosam, prudentem. Talis igitur quærenda uxor, virtuosa scilicet et prudens : talis item maritus. Sic enim Eccles. VII. dicitur : *Trade filiam tuam, sed homini sensato da illam*. Quod ut consequaris, ora-

tionem adhibe, quemadmodum Eliezer : *Domus enim et divitiarum a parentibus : a Domino autem proprie uxor prudens*, ait Sapiens, Prov. XIX. Deinde examen sedulum, non oculorum tantum, sed et aurium; non colorum, sed morum. Non enim debet in conjugum delectu minor adhiberi industria, quam in equorum; in his aut parum aut nihil spectatur color, sed virtus et robur. Quamobrem interrogatus Themistocles philosophus, cui libentius filiam suam dare vellet, divitine improbo et insipienti, an pauperi probo et sensato, optime respondit : « Malo habere hominem qui pecunia indigeat, quam pecuniam, quæ viro opus habeat. » Ita Pulcheria fratri suo Theodosio imp. Eudoxiam pauperem Leontii philosophi filiam a patre exheredatam, sed bene eruditam ac moratam, uxorem procuravit, felici prorsus successu, apud Rader. in aula sancta, c. IV. Quia vero hoc a multis non observatur, inde tot litigiosa et calamitosa cernimus conjugia. Nam, *sapiens mulier ædificat domum suam : insipiens extractam quoque manibus destruet*, ait Sapiens, Prov. XIV.

II. Christus accepit sponsam sibi similem, Ecclesiam scilicet, cui ut similis esset, naturam humanam induit, quemadmodum Sichei circumcisionem accepit, ut potiri posset Dina sponsa Hebræa, Gen. XXXIV. Audi apost. ad Hebr. IV. *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Itaque ut nulla prorsus anima, licet nobilissima, ditissima, sapientissima, pulcherrima, sponsum hunc respicere posset, ipse factus est nobilissimus, quia de semine regio ortus. Idem etiam, ut nulla quamvis vilissima, pauperrima, rudissima, et incultissima anima ejus connubium acceptare metueret, factus est humillimus et uxoris fabri filius. Propterea ad ejus nuptias in stabulo bethlehemitico celebratas invitati venere primo pastores sine ullo munere, viles, pauperes, rudes; deinde etiam accurrerunt cum muneribus magi, divites, reges, sapientes. Ad exemplum ergo Christi Ecclesiæ sponsi, par pari, quantum fieri potest nubat, juxta id Ovidii in Dejanira : *Si qua vobis apte nubere, nube pari*. Conjuges enim dici videntur a conjugio bouum arantium, ex quibus si alter altero sit longe minor vel imbecillior, cum neutro agetur bene, supra vires uterque laborabit. Ideoque præcepit Deus, Deut. XXII. *Non arabis in bove simul et asino*, siquidem asinus bove multo infirmior plus æquo gravaretur, et simul etiam bos. Primo igitur ne contrahas cum infideli aut hæretica. Quod ut innuit Hieron. lib. I. contra Jovin. vetuit apostolus, II.

Corinth. VI. dicens : *Nolite jugum ducere cum infidelibus : quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Ut enim asinus ad jugum trahendum ineptus et captiosus retardaret bovem progredi volentem : sic infidelis aut hæreticus conjux, cum præceptorum Dei jugum trahere nolit, impedit etiam conjugem fidelem, ne Deo et bonis operibus vacet*. Nam si uxor sit hæretica, cum mulier soleat a viro ardentius amari, quam amare ipsum, facile seducet cum blanditiis quasi fascinis et præstigiis, ut Adamum Eva, alienigenæ mulieres Salomonem, Jezabel Achab regem, Dalila Samsonem. Liberi etiam illorum deteriore sequentur partem, quemadmodum liberi Hebræorum ex alienigenis nati uxoribus nesciebant loqui Judaice, sed magis loquebantur Azotice, quia habebant matrem Azotidas, II. Esd. ult. Si maritus sit hæreticus coget velut uxoris caput, eam in suum consentire errorem. Nec valet objectio hæreticorum quod non tantum catholici, sed etiam Lutherani et Calvinistæ sint christiani. Non valet, inquam, quia hæreticus vere Christianus non est, cum non credat, nisi quæ ipsius capiti et ventri placent. Fuerunt quidem ad præsepe domini tam asinus quam bos : sed diversimode tamen, ut indicavit Isaias, cap. I. cum dixit : *Cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui*. Asinus ergo, id est, captiosus hæreticus agnoscit præsepe domini, id est, ea tantum credit, quæ capiti, et cupiditati ejus placent, uti Lutherani ea, quæ voluptati arident, amplectuntur, non item quæ adversantur. Verum bos, id est, fidelis, cognoscit ipsum dominum.

Deinde, conjux longe ditior et nobilior, exprobrabit alteri paupertatem et generis obscuritatem quavis exorta lite; atque ita uxor ditior multo ac nobilior bos cornutus erit ut crebro virum imperet, maritus vero illius asinus erit. Quid enim masculus juxta Amazonem, nisi asellus juxta bovem? Propterea sapuit ille qui uxorem accepit sine ulla dote, cum multa se opulentæ offerrent : « Ne videlicet dotum fræno constrictus, (ut ipse aiebat) uxori meæ nupsisse ego videar, et ita contra apostoli doctrinam viri caput fiat mulier. » Refert Beir. apophth. christ.

Rursum, ne annis valde impares sint uxor et maritus, quia periculum subest, ne junior senior fastidians aliena diverticula quærat, et senex perpetua zelotypia laboret.

Denique, ne consanguinei aut affines in gradibus prohibitis; hi enim non tam pares quam iidem sunt, ubi etiam dispensatio (nisi ob magnum reipublicæ bonum) non est petenda aut extorquenda; quia divina justitia punit tales

nuptias, aut per matrimonii dissolutionem, aut per mortem alterius conjugis, aut per sterilitatem, aut per filiorum mortem, etc. Unde S. Gregorius ad August. Anglorum episcopum, ut refertur, hoc minime dubitavit asserere : *Experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere*. Et D. Ambrosius a quodam amicorum suorum consultus, an filium nepti suæ collocare posset, I. VIII. ep. ad Paternum, severissime ipsum reprehendit, quod hoc cogitasset, additque : *Oportet ab ea intentione discedas : quæ etiam si liceret, tamen tuam familiam non propagaret*. Magnatibus tamen id conceditur ob publicum bonum, non privatis nisi gravissimis de causis.

III. Christus desponsavit sibi Ecclesiam, ut de ea spirituales filios procrearet ad Dei gloriam et ipsorum salutem, patriarchas videlicet et prophetas, apostolos, martyres, confessores, virgines, etc. qui omnes renati sunt, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, ut dicitur, Petr. II. et Gal. IV. *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus*. Non despondit sibi Ecclesiam Christus, ut ejus pulchritudine aut divitiis potiretur, quæ nullæ erant : nec ob aliquam dulcedinem, quia dolores potius et crucem sibi ab ea fabricandam sciebat : unicum tantum desiderium eum movit, bonorum scilicet filiorum ad Dei gloriam et ipsorum salutem gignendorum. Similiter ergo matrimonium contrahendum principaliter, ut filii procreentur, non tantum ad posteritatem conservandam, sed imprimis ad cælum replendum et reipublicæ civilis et Ecclesiasticæ bonum promovendum. Quem finem expressit Deus, cum dixit : Gen. I. *Crescite et multiplicamini, et replete terram et subjicite eam*. Ubi notat D. Chrysostomus, primum etiam brutis dictum esse; sed postremum illud : *Subjicite eam*, solis hominibus, quia nimirum, ut Rupertus ibid. ait : « Primum quidem commune est electis et reprobis, qui omnes eodem modo nascendo pariterque vivendo replent terram. Sed in eo discernuntur, quod sequitur : *Et subjicite eam*; soli namque electi quorum est terra viventium, hanc terram, quam corporibus repleverant, libertate animorum sibi subjiciunt. Quippe qui solum Deum præponentes, terrena omnia fortiter contemnant. » Hæc Rupertus. Igitur qui cælum replent, subjiciuntur terræ. Propterea peccator velut telluris inutile pondus, terram frustra occupare dicitur a Christo sub typo ficus infrugifera, Luc. XIII. *Succide illam*, ait, *ut quid etiam terram occupat?* Institutum igitur matrimonium, ut et

terram frugiferis repleat hominibus et electis cælum. Proinde conjugii finis est, non vivere tantum dare filiis, sed et bene vivere : ad hoc enim datum est viro adjutorium, mulier videlicet. Aberrant igitur quam longissime a scopo matrimonii, qui id amplectuntur propter spem divitiarum, nobilitatis, vel honorum, vel propter delicias et voluptatem : isti enim non Deum, sed Plutum, Jovem, Venerem ad nuptias invitant. Notat Rupertus non absque causa soperem Adæ immisum, ipsumque in Deum raptum fuisse, cum ex ejus latere fieret Eva, mox illi desponsanda. Vult enim hoc significasse, conjugem futurum non attendere debere ad opes vel delectationem aliosque profanos fines, sed præcise ad Dei gloriam. Quemadmodum Tobias fecit, qui accepturus Saram conjugem dicebat : *Tu Domine scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum*, Tob. VIII. Hoc vero quia non observarunt septem illi viri, qui eandem Saram prius jungere sibi volebant, ut libidini vacarent sicut equus et mulus, idcirco omnes a dæmone oppressi sunt, Tob. VI. Filii etiam Seth, quia acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, non scilicet ob desiderium procreandorum filiorum, sed ob voluptatem et intemperantiam, ut ait Chrysostomus; hinc gigantes procrearunt, qui terram perturbarunt, et diluvium meruerunt. Unde et illegitimi filii cæteris ordinarie perversiores sunt, in pœnam parentum, qui non liberos, sed libidinem pro scopo præfixerunt.

IV. Christus ex voluntate Patris despondit sibi Ecclesiam; sic enim cum Samaritanam alliceret in amorem et connubium suum spirituale, dixit : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus*, Joan. IV. Ac nisi cælestis Pater in hoc Filii laudatissimum consensisset matrimonium, nequaquam fecisset illi nuptias, quod tamen habetur, Matth. XXII. Similiter ergo cum parentum consensu et consilio de matrimonio tractandum est. Etenim Scriptura cum de liberorum nuptiis loquitur, semper curam mandat parentibus, non filiis. Illis præcipitur ne liberis suis accipiant, vel dent conjuges ex terra Chanæan, Exod. XIV. Deuteronomii VII. Abraham, misso in Mesopotamiam famulo, tulit inde uxorem filio suo. Et Isaac licet juvenis non concupivit mulierem, quam oculis suis primum aspexisset, sed paratum se obtulit ad eam accipiendam, quam pater ei traderet; nec petiit, ut ipse mitteretur pro uxore sibi deligenda, sed rem patris dispositioni commisit, ut notat Rupertus, lib. VI. in Genes. cap.

XXXVIII. sic, I. Corinth. VII. apostolus parentibus concedit ut tradant nuptui filias suas. Hodierni quoque evangelii nuptias cum parentum et amicorum consensu celebratas esse, colligitur ex eo, quod mater Jesu, titulo cognationis, de communi doctorum sententia, ad eas vocata fuerit. Ratio, quæ id suadet, est, quia parentes melius intelligunt, quid liberis expediat, remque maturius ponderant, quam ipsi. Deinde liberi irreverentiam exhibent parentibus, qui rem tanti momenti, in se vel invitis illis adoriuntur. Imo et injuriam eis faciunt, quia dant parentibus nepotes, quos ipsi nolunt. Et propterea Esau, quia duxerat uxores alienigenas, quæ animam patris offenderant, Gen. XXVI. et XXVII. merito fratri subjectus est. Excipiunt ab hac lege doctores.

Primo : si desiperent aut furerent parentes.

Secundo : si alia in regione procul morarentur parentes, ab iisque diu recte abesset filius, instit. de nupt.

Tertio : si a nuptiis invitos ac repugnantes, natos jam maturos iidem prohiberent parentes.

Quarto : si ne vel dotem vel sumptum in nuptias moderatum dare deberent iidem parentes, ad alias filios urgerent nuptias, leg. I. ff. de ritu nupt.

Quinto : si aut non contradicerent parentes, aut si propter locorum intercapedinem contradicere non possent, attamen ejusmodi matrimonium verisimiliter putarentur, si id cognoscerent, approbaturi. Sic enim Jacob non Rachelem modo ac Liam, sed earum ancillas duxit uxores, Gen. XXIX. et XXX. Sic et Saram junior Tobias, Tob. VII.

Sexto : si conjux a parentibus proponeretur hæretica, vel hæreticus alteriusve impietatis ac superstitionis, ut si Turca, ethnicus, Judæus.

Septimo : si item proponeretur crudelis, ferus, acerbus, pacis domesticæque tranquillitatis impatientis, prodigus, ebriosus, laborum suo congruentium statui fugitans, deses, proditor, perduellis, aliisve gravibus vitiis contaminatus ac infamis.

Octavo : si leprosus, clinicus, morbosus, deformis admodum, graveolens, aliisve similibus quibusdam rebus nimium intolerandus.

Nono : si fortuna conditioque dispar admodum, ut si liberæ ac ingenuæ servus dandus esset maritus, principi feminæ plebeius.

Decimo : si qui recto matrimonii scopo adversaturus omnino indicaretur.

Undecimo : si denique filius ipse esset emancipatus, prout tam jurisperiti quam theologo tradunt, et clare significat Tridentinum, sess.

XXIV. dec. cap. I. dum de solis filiis familias quosdam secus opinatos monstrat.

Quod si quis, parentibus merito invitis, contraxerit, ratum erit matrimonium, nec a quoquam irritari potest. Quemadmodum et Sanctus Ambrosius ad Sisinnium scripsit, epist. XLIII. merito quidem eum indignari, quod filius eo in se et invito uxorem duxerat; consulto tamen id filio ignoscere, qui nemini quam sibi uxorem illam acceperit. « Fuit quod succenses filio, inquit, sed fuit etiam, quod remitteres qui sibi uxorem delegit. Sane tibicen sibi ad proprium tonum deligit tibias, sic oportet, ut deligat conjux conjugem, » ait Callicratides. Certe nemo invitus cogi a parentibus ad matrimonium debet. Unde Plautina, in sticho panegyris ait : *Stultitia est, pater, venatum ducere invitos canes. Hostis est uxor invita quæ ad virum nuptum datur.*

Observent autem parentes, ut ne justo tardius aut ante ætatem congruam liberis suis quærant conjuges. In priore enim casu præteribuntur filiæ præsertim, aut concupiscentia victæ in turpitudinis barathrum cadent. In posteriore vero multa pertimescenda sunt, virium defectus, liberorum infirmitas et mala educatio, cum scilicet viderint liberi patri barbam pullulare, dilapidatio bonorum ob imperitiam regendæ familiæ, etc.

Quod si parentum consensus merito requiritur, multo magis ad stipulatio ipsius Dei, ut scilicet eo benevolente et amico sacramentum suscipiatur. Quia enim uxor bona donum Dei est, et matrimonium sacramentum factum est, in quo Deus gratiam et auxilia sua, quasi spiritualem suppellectilem ad status illius difficultates superandas dare promisit, debent contrahentes ante omnia curare, ut in gratia Dei sint, cum sacramentum hoc suscipiunt : ideoque prius si qua labe se aspersos viderint, eam abstergant penitentiae lavacro. Idcirco enim primam uxorem adduxit ipsemet Deus homini, ut indicaretur ab ejus manu benevola conjugem accipiendam esse. Et quemadmodum parentes, quibus offensis contrahat filius, non accedent ad nuptias filii, nec porrigent ei manum, cum inceperit egere, nec dabunt eam, quam alias daturi erant dotem, nisi postmodum eis reconcilietur; sic et Deus non intererit nuptiis peccatoris, nec dabit gratiam contrahenti in peccato mortali, sed ad iram potius provocabitur, donec recedente hominis fictione ei reconcilietur. Isti enim proprie Deum a se et mente sua excludunt, ut illi septem a dæmone oppressi, Tob. VI. quia gratiam Dei sibi oblatam repellunt.

V. Christus forti et magno animo suum cum Ecclesia matrimonium aggressus est, nihil non periculorum, curarum, afflictionum sufferre paratus, non pro illa tantum, sed etiam ab illa. Idcirco enim in ipso quasi sponsalium initio asperissima quæque experiri voluit, quando adhuc in utero matris peregrinari trans montana, et servis suis ministrare, paulo post ad imperium terreni Cæsaris in Bethlehem abire, et ibidem profiteri, necnon in stabulo diverti, nasci et morari tempore brumali, fasciis involvi et in præsepio reclinari voluit. Quis ista videns et considerans non exclamasset : Heu quam præclarus futurus est hic Ecclesiæ maritus ! Quam patiens, quam amans, quam laboriosus ! Refert Plutarchus de præcept. conjug. Lepti, quæ Africae urbs est, moris esse patrii, ut postridie nuptiarum sponsa ad soerum mittat petitum ollam, illam vero negare, et quidem cum convicio, ut ita novecalem soeris animo initio statim sponsa experta, non ferat iniquo animo, si quid ei postmodum asperius contingat. Eandem prorsus fortunam Christus initio statim matrimonii sui experiri voluit, cum in domo sponsæ suæ nasciturus hospitium sibi concedi vel ad paucos dies petiit, sed repulsus ab illa est, ideoque in stabulo diverlit, *quia non erat ei locus in diversorio*. Nimirum optime præcavit Christus, quid molestiarum a sponsa sua et propter illam perpessus esset, propterea quamprimum aleam hanc subire et dorsum cruci suæ voluit submittere, postquam semel statuit uxorem hanc accipere. Ad illius igitur exemplum, quicumque apud se decrevit matrimonii jugum trahere, debet magno et forti animo supponere collum suum, nec aliud sibi persuadere, quam quod multæ undique tribulationes eum maneant, et quod curas etiam quandoque inversus constanter sit trahendus. Verissimum enim, quod apostolus ei prædixit : *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi*, id est curas, sollicitudines, labores, angustias, etc. I. Cor. VII. Unde quis talium dictum sibi existimet : *Sustine aut abstine*. Seu quod Varro, in Menipp. dixit : *Vitium conjugis aut tollendum est, aut ferendum*. Olim apud Græcos, Romanos et Hebræos uxores a maritis certo aliquo servitii labore aut dato pretio emebantur, et vicissim subinde viri ab uxoribus. Sic Jacob servivit pro Rachele septem annis, Gen. XXIX. David Micholem centum præputiis Philistinorum sibi despondit, II. Reg. III. Oseas fornicariam sibi emit quindecim argenteis, Ose. III. Saxones et Burgundiones trecentis solidis sibi a parentibus coemebant. Sed non video cur uxor sit emenda pretio vel laboribus, utpote in su-

dore et algore, curis et angustias perpetuo alenda. Satis igitur magnum pretium offert pro uxore, qui magnum affert animum, quævis aspera tolerandi, nec ab ea discedendi quibuscumque in angustias. Hoc pretio consequentium laborum coemptam tibi uxorem existimato : ac quemadmodum ursus in rupe deprehensus a venatoribus involvit caput brachiis, et ex illa se dat præcipitem, ut saltem caput non offendant; sic facito et tu, cum in statum conjugalem te ipsum vis devolvere : animam munito patientiæ et fortitudinis brachiis, ut saltem spiritus salvus sit; caro enim veniit.

Sed objiciet mihi aliquis : Sero ista dicis, jam adussi digitos; nupsi non ut debui, et ideo vinum deest mihi; omnia mihi insipida, omnia sunt aqua. Quidquid video crux est; quidquid audio, tonitru; quidquid gusto, fel est; quidquid olet, fætor; quidquid tango, spina est. Sed non est abbreviata manus Domini : potes adhuc invitare illum, et ille potest aquam tuam vertere vinum. Invitabis autem Christum primo, si cum Deipara Deum ores ut vinum subministret. Sic fecit Tobias, cum uxorem probe peteret. Ingegnit enim orans cum lacrymis : *Justus es, Domine, et judicia tua justa sunt*, Tob. III. Deinde, si exemplum Christi imiteris, et cum mala conjugate bonus sis, nec a præceptis divinis recedas. Quid enim Christus non tolerat etiamnum ab Ecclesiæ membris innumeris? Annon jugiter tota die blasphematur nomen ejus etiam a fidelibus? Annon perpetuis injuriis ab illis lacessitur? Et tamen idcirco eam non deserit, nec amare et fovere cessat. Tanta porro est hujus patientiæ vis, ut omnes conjugii labores, curas et fastidia vertere in gemmas possit, et aquam tribulationis in vinum æternæ retributionis. Et nunc verissime adimpletum videbis, quod dixit architriclinus : *Tu autem, Domine, servasti bonum vinum usque huc*. Id quod utinam nobis omnibus proptinet ibi Deus. Amen.

CONCIO II.

AFFLICTIONES CONJUGUM MITIGANTUR.

I. Orbitas. — II. Liberi immorigeri. — III. Paupertas. — IV. Molestia alterius conjugis. — V. Zelotypia. — VI. Ægritudo.

THEMA.

Erant autem ibi lapidæ hydræ sex. Joan. II.

Posset quis cogitare pauperiores sese nuptias nec vidisse nec audisse quam Cananæas illas. Nullæ enim visuntur nuptiæ etiam mendican-